



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Hildegardis V. 17. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

fecissent. Erat porrò in SATYRO ea animi simplicitas, ut columbam; ea prudentia, ut serpentem; virtutum fragrantia tanta & copia, ut hortum jure dixisses. His ille præsidiis instructus rem fratris domesticam ita administrabat, ut pietas familiam duceret. Eripi sibi oculos credebat Ambrosius, cum ex oculis SATYRVS abiret. Abibat tamen, cum negotia id exigebant. Et ecce navim consernit SATYRVS, sed non sine armamentis. E collo Angelorum panem suspendit. Mox venti insurgunt & fluctus navim expugnant. At SATYRO naufragio non commeatus, non vela, remi, matūs, non anchora deest, omnia hæc adsunt in SS. Eucharistia. Illo succollante, quem collo ipse ferebat, emergit, &, Anathema templo ipsum Servatorem suum gratus donat. Credidit in portu se esse; & fuit, non tunc quidem, sed paulò post, cum beatà morte defunctus est. Verum tunc naufragum Ambrosium lacrimis vidisses. *Ex ipso D. Ambrosi.*

Beatus qui sanctæ Communioni atque orationi tanquam celestis Angelus incumbit, & mundis quotidianis cogitationibus vacat, neque aditum præbet improbo demoni, ut animum suum expugnet & abducat à Deo Servatore, S. Ephrem. in Beatitud.

L. S. HILDEGARDIS V. 17. Septembri.

Nescio quid de HILDEGARDE sentiendum, mundumne deseruerit, an potius nunquam fuerit in mundo; quippe IX. annorum virguncula inter virgines sacras adlecta. Cælestia ab ipsis cunis videre habuit, nutuque hæc prodidit, quando sermone non potuit. Literas, quas nunquam didicit, scripsit tamen, easque non suâ linguâ: atque ut cantaturam scires olim, quod canere alii despe-

desperabunt, carmen, jam tunc absque doctore
scitissimè modulabatur. Vatum etiam sacrorum
oracula fideiisque nostræ volumina legebat & ex-
plicabat puella, ut ipsissimam seculi illius Sibyllam
Bernardus laudaret, & in concilio Rhemensi Eu-
genius PP. probaret. Cæterum visa cælestia mor-
bus comitabatur ferè continuus, qui castigabat
scilicet timidam, quoties prodere hominibus
monita cælo data negligenter, fuitque, cum lecto
affixam ita undique oppugnarunt dolores, ut ce-
dere anima & velle ditionem facere jam jam
videretur. Sed præsidio Angeli venerunt è Primi-
pili Michaëlis cohorte, qui atros Genios unaquæ
morbos omnes in fugam egerunt. Dum porro
vixit, mira egit innumera, lynceoque vultu ipsas
cordis latebras inspexit, sensaque animi obtutu
suo deprehendit. Funus illustravit iris gemina in
cælo visa, hanc lux coronabat lunæ circulum re-
ferens, quem itidem crux ornabat, multiplici
mox incremento innumera. Id miraculum super
defunctæ domum descendit. Et ascendere nos du-
bitamus tam familiariter invitati? Ex Surio.

*Beatus qui puris cordis oculis Deum semper intue-
tur, qui que bonis ac honestis colloquiis delectatur, & à
pravis ac turpibus, que bonos mores corrumpunt, abhor-
ret; quoniam minimè fiet diaboli mancipium. S. Ephr.
in Beatitud.*

S. FERREOLUS M. 18. Septembris.

Annum à Christi ortu tertium supra trecento-
tesimum victoriis suis nobilem fecit FER-
REOLVS, non tam militum quam Martyrum an-
tesignanus. Hostis, qui cum ei bellandum erat,
atrox & versipellis Crispinus Procof: fuit, ut qui
modò